



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 3. Niuibus inclusum, mirabili magisterio, docent serpentes  
nutrime[n]tum quærere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

qui quatiens scutum hastâ, cum silentium fecisset, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui secum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adolescens; prius sciscitatus consulis sui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus processit. Ei repentè coruus in galea confedit, in hostem versus: qui non solum tenuit semel captam sedem: sed quotiescunque certamen initum est, leuans fealis, os oculósque hostis rostro & unguibus appetijt; donec territum prodigij talis visu, oculisq; simul ac mente turbatum Valerius obtruncavit. Ales è conspectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureaque à Consule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

## §. III.

*Niuis inclusum, mirabili magisterio, docent serpentes nutrimentum querere.*

Ioan. Fischer. l. 4.  
contra  
Occolampad.  
c. 22.

Quia luculentum est diuinæ prouidentie ac bonitatis, in alia historia, exemplum, neque fortasse in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam historiam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fiseheri Roffensis Episcopi opere, quod Anno 1526. aduersus *Occolampadium* edit

dit ( qui se à Wilhelmo Gronyensi docto  
 Frifone probatæque fidei viro accepisse, te-  
 statur ) Ludouicus Richeomus ita refert :  
*Is sacerdotem, ait, quendam, cum, sub initium  
 hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & al-  
 gorum adactus necessitate, dum in alpibus er-  
 rabundus, mitiorem à ventis, & niuibus val-  
 lem reperire sperans, desilyffet, neque reducem  
 quaquam exitum comperisset, neq; unde  
 desilierat, propter altitudinem, ascendere po-  
 tuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se  
 fame moriturum coniecisse, ac desperasse. Sed, ut  
 erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa  
 genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niue  
 super repentes; exterritus hoc visu, munivit se  
 signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim  
 potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere  
 causam valens, qua naturaliter cogherentur,  
 tali tēpestate, antris suis exire, & sic per niues re-  
 pere. Phantasmatum igitur nocturnorū quan-  
 dam credidit illusionem, aut spiritus forte ma-  
 lignos, qui tali specie simulatā ad se inquietan-  
 dum accederent. Rursum igitur signum Crucis  
 sibi imprimens, commendabat se, toto mentis  
 affectu, Deo ac Beata Virgini. Serpentes rectā  
 versus lapidem spelunca sua vicinum conten-  
 debant, ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic;  
 Richeō.  
 in Pere-  
 grino  
 Laureta-  
 no c. 138.

A.

eundem

eundem lingere. Ipse interim anxie eos respiciens horam prestolabatur, quâ impetu facto ingrederentur speluncam, ad se deuorandum. At ubi illi aliquandiu lapidem linxissent, regressi sunt, eâdem, qua venerant, viâ, in sua antra. Summas igitur Deo agit gratias, qui tali eum metu liberasset, dormiuitq; nonnihil, per noctis reliquum, absq; cibo diem sequentem transiens, nihilque, præter candorem niuis terram latè operientis, & lucem cœli videns. Secundâ & tertiâ nocte, horâ eâdem, reuersi serpentes fecerunt similiter, & abierunt. Tum demum credidit naturales serpentes, sed mirabatur, quidnam ita lapidem lingerent. Iam penè viribus destituito incidit cogitatio, quòd fortè animalia illa ostenderent, quid sibi faciendum esset; in sua necessitate; tûmq; ad lapidem accedens cœpit eundem similiter lingere, & ecce (res stupenda) inter lingendum, ita fuit restitutus quasi cibo refectus. Tali itaq; modo, totâ hyeme, sub rupe, latitans contra frigus & famem se defendebat, donec, in fine Aprilis, niue solutâ, per uis iam factis alpibus, quosdam audiret in vicino colloquentes, iisque se comitem præbuit ad peregrinationem suam cõplendam. Hæc Richeomus.

## §. IV.

Cur noxia animalia condiderit Deus?

Ergo,